



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

X. Nominatio Cæsaris an possit esse conditionalis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

pro defectu, & in cap. cum Magistrum, de electionibus, quod tenetur providere secundum qualificationem, qua tenebatur collator ille superior, ad quem fit potestatis devolutio, gloj in pragm. sanctio. in §. quod si quis, in verbo ad proximum superiorem, tit. de collationibus; ubi dicit quod quando devoluitur potestas alicui, tenetur providere hominibus illius qualitatis, secundum naturam institutionis beneficij. Postremò faciunt Notata Baldi in L. si quis ad declarandum, Col. 3. C. de Episcopis, & Clericis, quod ubicumque dispositio testatoris est certa, respectu causæ, personæ & loci; nunquam potest alterari, ut est textus expressus in Clem. quia contigit, de religiosis domibus. Arnulphus Razæus tract. juru regaliiorum, privilegio 49. num. 11.

NONO Quæritur, an Cæsar Nominationibus possit apponere conditionem; Videtur quòd non; quia inferiores Collatores debent beneficia conferre purè, DD. L. fin. C. de pactis, cap. quæsitum, de rerum permut. cap. 2. de Electio. in 6. quod hætenus verum est, nili adjiciatur conditio, quæ de jure inest, Abb. in cap. relatum, de præbend. & in capite olim 1. de restitut. spol. Hinc dicit Baldus in cap. significasti, de præbend. quod si Episcopus contulit unam Ecclesiam curatam sub conditione si resignaverit primam, subsistat talis collatio, quia hæc conditio tacitè inest, cap. de multa, de præbend.

Cæsar an possit nominationibus apponere conditionem.

DECIMO quæritur an si Precista sit nominatus ad simplex beneficium, possit illud acceptare si fuerit erectum in curatum? Oldrad. consi. 58. & Aneho. in Clem. Unica, nu. 37. de Concess. præben. responderunt negativè: quia omnis dispositio intelligenda est rebus sic stantibus, L. continuus, §. cum quis, ff. de Verb. oblig. L. cum quis, de Salutio. L. quod servius ibi glo. de Condit. & demonstr. Dec. cons. 335. nu. 3. Alex. cons. 71. nu. 8 lib. 5. Paris. cons. 34. num. 13. lib. 2. Ego tamen aliud sentio, cum Indultum nostrum comprehendat etiam beneficia curata: in quo est etiam attendenda observantia: Facit decis. Rotæ apud illustr. Cardinal. Seraphinum de anno 1601. Mercurij 5. Decemb. in qua fuit dictum quod per mutationem non extinguitur privilegium quod est compatibile cum statu immutato; secus si sit incompatible: & in his terminis procedit regula illa, quod dispositio illa intelligitur rebus sic stantibus.

An si Precista sit nominatus ad simplex beneficium, possit illud acceptare si fuerit erectum in curatum.

VNDECIMO Quæritur, an Precista ultra Cæsaris Nominationem, nova opus habeat collatione seu institutione ab Ordinario beneficij Collatore; Pro cujus resolutione primò sciendum, Beneficium Ecclesiasticum non possit licitè obtineri sine canonica institutione, ut habet juris Regula, Canonica autem institutio ea appellatur, in qua omnia substantialia valida institutionis largo modo sumptæ concurrunt, id est collatio, investitura & in possessionem inductio, & decens personæ habilitas, tam ex parte conferentis, quam ex parte illius, in quem collatio facta est.

Utrum Precista nova opus habeat collatione seu institutione.

Verùm in subjecta materia institutio accipitur pro receptione, & admissione juris alicujus collativa, quæ sit ad præsentationem Precum Cæsariorum,